



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

79. Ficulnea maledictione Christi exarescit.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)



*thai.* 21. §. 17. Cùm jam vespera esset hora,  
exijt in Bethaniam cum duodecim, *Marc.*  
11. §. 11.

## MEDITATIO LXXIX.

*Ficulnea maledictione Christi  
exarescit.*

**I.** **M**ANÈ autem revertens in Civitatem,  
Mesurijt: *Matth.* 21. §. 18. cùmque  
vidisset à longè ficum ( arborem unam se-  
cus viam, *Matth.* 21. §. 19. ) habentem folia,  
venit, si quid fortè inveniret in ea: & cùm  
venisset ad eam, nihil invenit præter folia:  
non enim erat tempus ficorum, *Marc.* 11. §.  
13. & ait illi: Nunquam ex te fructus na-  
scatur in sempiternum, *Matth.* 21. §. 19.  
Iam non amplius in æternum ex te fructum  
quisquam manducet. Et audiebant discipuli  
ejus, *Marc.* 11. §. 14.

**II.** Et arefacta est continuò ficulnea. Et  
videntes discipuli, mirati sunt, dicentes:  
Quomodo continuò aruit? *Matth.* 21. §.  
19. § 20 Veniunt Hierosolymam, & cùm  
vespera facta esset, egrediebatur de civitate,  
*Marc.* 11. §. 15. § 19. Et cùm manè transi-  
rent, viderunt ficum aridam factam à radi-  
cibus, *Marc.* 11. §. 20.

**III.** Et



III. Et recordatus Petrus, dixit ei: Rabbi, ecce ficus, cui maledixisti, aruit. Et respondens Iesus, ait illis: Habete fidem Dei. *Marc. 11. & 21. & 22.* Amen dico vobis, si habueritis fidem, & non hæsitaveritis, non solum de ficulnea facietis, sed & si monti huic dixeritis: Tolle, & jacta te in mare, fiet: *Matth. 21. & 21.* quia quicumque dixerit huic monti: Tollere, & mittere in mare, & non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcumque dixerit, fiat, fiet ei. Propterea dico vobis, omnia quaecumque orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis. *Marc. 11. & 23. & 24.*

## MEDITATIO LXXX.

*Oblatio pauperis viduae præfertur oblationibus divitum.*

I. **S**edens Iesus contra gazophylacium, aspiciebat, quomodo turba jactaret æs in gazophylacium, & multi divites jactabant multa. *Marc. 12. & 41.* Respiciens autem, vidit eos, qui mittebant munera sua in gazophylacium, divites. *Luc. 21. & 1.*

II. Cùm venisset autem vidua una pauper, misit duo minuta, quod est quadrans.

D

*Marc.*